



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. V. Vtrùm caritas in via possit semper in infinitum augeri?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

praesertim abstrahendo ab eorū diuturna continuatione, de qua hic non agimus: nā loquimur de augmento quod quis recipit statim initio sui actus. Cū igitur hic numquam eliciamus actū caritatis appetitiuē tam perfectum, quin possit elici perfectior; sequitur, nos numquam pro eo recipere tot gradus gratiae, quot ipse in se habet.

59 Hinc sequitur Primò, quando quis elicit actum caritatis quo iam primò iustificatur, ipsum ex duplici capite recipere pauciores gradus gratiae quam habeat ipsius actus. scilicet Primò, quia eius actus nullam accipit dignitatem ab eliciente, quia elicitur à peccatore; Secundò, quia non est appetitiuē tam perfectus, quam esse posset, & habitus caritatis postulat.

Sequitur Secundò, peccatorem, qui antè fuit iustus, elicientem actum caritatis ex triplici capite recipere pauciores gradus gratiae habituales, quam actus eius habet. Primò, ob indigentiam elicientis; Secundò, ob defectum sufficientis appetitionis ipsius actus; Tertiò, quia, cū talis recipiat omnem gratiam prius perditam, ut ostendi tomo 2. de Sacram. disp. 2. dub. 20. gradus gratiae quos recipit praecise ratione illius actus caritatis sunt intensiores, & consequenter perfectiores ipsi gradibus, quos actus in se continet.

60 Sequitur Tertiò, iustum elicientem actum caritatis non intensiorem ipso habitu, ex duplici capite recipere pauciores gradus gratiae, quam actus ipsius in se continet: Primò, ob defectum sufficientis appetitionis; Secundò, quia gradus infundendi sunt perfectiores gradibus ipsius actus.

Sequitur Quartò, quo quis habet habitum intensiorem, si eliciat actum hoc minùs intensum, eo ceteris paribus pauciores recipere gradus gratiae. v. c. Petrus habeat caritatem intensam ut 100. & Paulus ut 20. & uterque eliciat actum caritatis ut 10. appetitiuē aequè perfectum, hic plures gradus gratiae accipiet quam ille; quia gradus gratiae infundendi Petro sunt longè perfectiores infundendis Paulo; atque ita pauci aequivalent pluribus.

61 Dices, Sicut posteriores gradus gratiae sunt perfectiores & maioris valoris, quam priores: ita etiam actus habentis maiorem gratiam habituale ceteris paribus est magis meritorius: ergo si habens unum gradum gratiae eliciendo actum caritatis ut 10. v. c. recipit sex gradus gratiae aut circiter: habens gratiam ut 20. aut 100. eliciens similem actum recipiet etiam tot gradus augmenti gratiae.

Respondéo, nego consequ. quia, etsi valor actionis meritoria crescat ratione dignitatis siue maioris sanctitatis ipsius operantis; hinc tamen longe minùs crescit, quam sit excessus valoris graduum superiorum respectu inferiorū: quare illud argumentum solum probat habentem gratiam ut 20. eliciendo actum caritatis ut 10. mereri augmentum gratiae quod aliquanto plurius valeat, quam valeat augmentum gratiae quod ob similem actum recipit is qui solum habebat gratiam ut unum; non autem quòd recipiat aequè multos gradus gratiae.

62 Sequitur Quintò, iustum elicientem actum *Coninck de act. supernat.*

caritatis intensiorem suo habitu (quod auxilio gratiae actualis praeventis & concomitantis facere potest) pro illis gradibus, quibus actus superat habitum, ex unico solum capite recipere pauciores gradus gratiae habituales, quā actus in se contineat: scilicet ob defectum sufficientis appetitionis: pro reliquis verò ex duplici capite, scilicet quia in ipso actu gradus remissiores ipsis gradibus infundendis & in intensione & in appetitione requisita sunt imperfectiores. unde si habens habitum caritatis ut sex eliceret actum caritatis ut 10. qui esset appetitiuē tā perfectus quā habitus postulat (quod in hac vita fieri nequit) pro supremis quatuor gradibus reciperet quatuor gradus gratiae, & augeret suum habitum usque ad 10. pro reliquis verò gradibus non reciperet sex alios gradus gratiae, sed multò minùs, v. c. tres; & sic uniuersum reciperet septem nouos gradus gratiae, quorum tres supremi aequiuarent in dignitate ac perfectione sex infimis.

D V B I V M V.

Utrum caritas in via possit semper in infinitum augeri?

Duplex hic est difficultas. Prima, utrum possimus in hac vita tantam acquirere caritatem, ut secundum legem Dei ordinariam ulterius augeri nequeat? Secunda, utrum possit dari caritas finita tam intensa, quā ulterius à Deo intendi nequeat?

Circa priorē fuit olim error Begnardorū doctum nos posse in hac vita peruenire ad tantā caritatem, ut amplius augeri non possit. Ita refertur Clement. *Ad nostrum*, de haereticis. 63 Error Begnardorū.

Ratio eorū erat, quia aliā possemus acquirere tantā caritatem, quantam habuit Christus: cū enim inter caritatem nostram & Christi hominis sit finita distantia, nostra posset in tantum crescere, ut huius perfectionem attingeret.

Videtur Secundò, probari posse auctoritate S. August. qui in Enchiridio c. 121. ait: *Minuetur autem cupiditas caritate crescente: donec veniat hic ad tantā magnitudinē, quā maior esse nō possit.* Item l. 1. Retract. c. 7. explicās id, quod dixerat l. de Moribus Ecclesiae c. 25. ait: *Quod autem dixi, eū ipsum, quem cognoscere volumus, hoc est Deum, prius plena caritate diligamus: melius diceretur Sincera, quam Plena: ne forte putaretur caritatem Dei, non futuram esse maiorem, quando videbimus facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiat tamquam Plena dicta sit, quā maior esse non possit, quamdiu ambulamus per fidem.* Vbi videtur dicere, caritatem hic posse esse tantam, ut nequeat amplius crescere. August.

Sed hic error aperte repugnat Scripturis; quā, ut ostendi suprà n. 5. docent nos usque ad mortem mereri & magis iustificari posse. Hinc Apostolus cū iam plurimū in caritate profecisset ad Philip. *Philip. 3.* 3 v. 12. dicit se nondum esse perfectū, ita nimirū ut ulterius nequeat perfici, ideoq; subiungit se ea quae retro sunt obliuiscendo semper ad anteriora se extendere, conando ulterius proficere. unde meriò in Concil. Vienn. relato Clement. suprà citata ille error damnatur. argumenta etiam pro eo allata facili soluantur.

Pp 2 Ad

65 Ad primū, Respondeo illud solū probare nos continenter bene viuendo posse tandem acquirere caritatem tam intensam quam fuit caritas Christi, si satis longo tempore, multis nimirum annorum millibus uiueremus, aut valde magnis & extraordinarijs diuinæ gratiæ auxilijs præueniremur. Tam breui autem vitæ tempore, & per auxilia, quæ de facto accipimus, nec Christi, nec B. Virginis, imò nec quorundam Sanctorū, qui singulari Dei priuilegio singularibus auxilijs ad ingentem ac extraordinariā sanctitatem perueniunt, caritatē vilo modo æquare possumus. Sicut, etsi limax quādiu uiuit possit semper ulterius repere, ita ut nunquā tam procul possit replisse, quā possit adhuc ulterius repere, tamen tota sua vita nullo modo potest repere ad 100. millia, aut etiā tam procul quā aquila paucis diebus possit volare; sed quantumuis tota vita continenter repat, tamen in fine ab utroque termino longissime aberit.

66 Ad secundum, Respondeo D. Augustinū ibi non loqui de intensione aut perfectione habitus caritatis secundum se, sed de perfectione caritatis quoad ostensionem siue exhibitionē externi operis; quādo nimirum per eam omnia propter Deum contemnimus, atque adeo ipsam vitā libenter pro fide ac iustitia mori cōdo, quod est maximum amoris signū, quod hic exhibere possumus, iuxta illud Christi Iohan. 15. *Maiores hac dilectionem nemo habet, ut animā suā ponat quis pro omnibus suis.* quem locū D. Augustinus citat in suo Enchiridio, dicto c. 121. v. ea, quæ inde citauimus prober. Aliās verò nos dū hic sumus semper posse in sanctitate, & consequenter in caritate proficere, ipse apertè docet serm. 15. de verbis Apostoli sub finem. vbi explicās illud Apostoli ad Philipp. 3. *Ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum;* fusè docet, nos semper posse in sanctitate proficere. & tandem subiungit: *Si autem dixeris Sufficit, peristi; semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere,* &c. clarè ostendens nos hic semper adhuc posse proficere.

67 Circa secundam difficultatem variæ sunt sententiæ Theologorū, duæ tamen præcipuæ. Prior docet, posse dari caritatem finitā tam perfectā, ut per absolutam Dei potentiam nequeat ulterius intendi, aut dari vlla alia, quæ sit illa perfectior. Ita Durand. in 3. d. 13. q. 2. Scot. ibid. §. *Ad quæst. & §. Ad argumenta istarum.* Palud. q. 1. Richard. ar. 1. q. 2. Bonauent. in 1. d. 7. p. 2. ar. 1. q. 4. & alij. Differunt tamē hi inter se, quia tres vltimi docent, quod caritas aliæque qualitates non possint in infinitum intendi, nō provenire ex parte ipsarum; sed solū ex parte subiecti; quia, cum hoc sit finitæ capacitatis, non potest capere qualitatem in infinitum semper intensiorem. Scotus verò, & quidā alij volūt hoc provenire ex parte ipsius caritatis; quia tam hæc, quā quævis alia qualitas essentialiter exigit certum limitem suæ intensiōis, ultra quē nulla potētia possit intendi.

68 Probat autem hæc sententia. Primò, quia Aristoteles 8. Physic. textu 62. & 74. docet, motum alterationis non posse procedere in infinitum, sed necessariò habere certum terminum. & l. 2. de Anima c. 4. textu 41. ait: *Omnis natura constantium est finis & ratio tam magnitudinis, quā*

accretionis. Prob. Secundò, quia Deus videt distinctè omnes gratias quas potest creare: atqui inter has aliqua est perfectissima, quæ non potest dari perfectior: ergo datur gratia perfectissima creabilis: quæ cum non queat esse infinita, debet aliqua finita talis dari. Tertiò, quia Deus potest creare perfectissimam gratiā, quam creare potest: atqui hæc necessariò debet esse aliqua determinata: ergo potest dari gratia determinata, quæ nequit dari perfectior. Quartò, quia quævis creatura quatenus est susceptiva aliquius qualitatis, est finitæ capacitatis (videmus enim quævis res destrui, si ijs insit aliqua qualitas intensior, quā capere possint:) ergo cuius rei potest inesse tam intensa aliqua qualitas, ut maiorem capere non possit: nec Deus potest hanc capacitatem augere, quia nequit rerum naturas mutare.

Sed hæc rationes non satis probant intentum. Ad primam, Respondeo loca illa ex Aristotele citata nihil facere ad rem: tum quia Aristoteles ibi solū agit de effectibus naturalibus à causis naturalibus & finitis producibilibus; qui consequenter necessariò sunt finiti, & determinatæ perfectionis: ex quo nullo modo sequitur, idem esse dicendum de effectibus à Deo producendis: tum etiam quia priore loco agit solū de alteratione tendente ad generationē & corruptionem rerum, quæ sicut ad sui generationē aut conservationem determinatam requirunt qualitātū intensiōem, ita determinatæ alteratione aut generantur aut corrumpuntur. caritatis autem intensio nec ad generationē, nec ad corruptionem tendit, quare alia est huius & illarum ratio. In secundo verò loco solū agit de rebus animatis quæ requirunt certam corporis organizationem, & consequenter etiam certam quantitatem. De inanimatis verò docet hæc posse infinitum augeri, si noua semper materia aggeratur, sicut enim docet in infinitum posse crescere, si continuò plura ligna ei apponantur, ut perse etiam manifestum est.

Ad secundum & tertium argumentum Respondeo Primò, ea ut summum probare posse creari aliquam qualitatem infinitam, quod propriè non facit ad præsentem quæstionē. Respōdeo Secundò, ad secundum, nego semper materiam sicut inter caritates creabiles nullus datur perfectissimam, sicut nec inter partes in quas continuum potest diuidi, videt minimam.

Ad tertium, nego maiore: quia nulla est caritas possibilis tam perfectā, quæ Deus non possit facere perfectiorem; nec hoc aliquā imperfectiōnem in diuina potentia arguit: sed omnino infinitam perfectionē, quæ nunquā potest exhaustiri, aut habere effectū vlla ratione sibi adæquatū, siue in quo debeat sistere, non valēdo perfectiorem producere. sicut igitur fieri nequit ut Deus creet tot homines, quot creare potest, aut ut diuidat continuum in tot partes, in quot id diuidi potest, ita ut nequeat plures homines creare, aut continuum ulterius diuidere (quæ illæ partes deberent esse indiuisibiles, atque ita continuum componeretur ex indiuisibilibus, quod

Nunquam
ad Christi,
B. Virginis,
ac quorundam
Sanctorum
gratiam per-
uenire pos-
sumus.

Iohan. 15;

August.

Philipp. 3.

Durand.
Scotus.
Paludan.
Richardus.
S. Bonau.

Aristot.

Inter quali-
tates creabi-
les nō datur
perfectissi-
ma.

Dei potentia
nec exhaustiri
potest: nec est
quædam sibi ad-
æquatum habens po-
test.

quod communiter omnes fatentur esse absurdum: ita fieri nequit, ut creet caritatem tam perfectam, qua nequeat creare perfectiorem.

Ad quartum, Respondeo maiorem solum esse veram respectu qualitatum, quas corpora ad sui conseruationem in certa proportionem exigunt, & quantum nimia intensio leduntur; secus vero esse de qualitibus quae nullo modo sua subiecta laedunt, sed merè perficiunt, eò quod nullam habeant repugnantiam cum vlla dispositione ipsi subiecto connaturali; quare respectu huiusmodi qualitatis subiectum est ex se capax cuiuscumque intensiois si eia Deo infundantur. Idemque credo in alijs qualitibus diuina virtute fieri posse: sicut enim Deus potest corpora damnatorum perpetuò seruare incorrupta in medijs maximisque ardoribus, imò summè in se ardètia, atque adeò talibus affecta qualitibus, sub quibus naturaliter nequidem momento temporis possunt integra consistere; ita possit eadè conseruatione maioribus ac maioribus caloribus affecta absque villo termino. Et confirmatur, quia aliàs sequeretur, hominem diu hinc viuendo posse tandem tam multum peccare, ut Deus non possit eum in inferno condignè punire, quia non possit ei sine subito ipsius interitu infligi poena vlla tam intensa, ac peccata ipsius exigèrent.

Alij absolute docent, non posse dari tantam caritatem, quin Deus possit eam magis & magis in infinitum intendere. Ita D. Thom. 2. 2. q. 24. Bañez ibid. dub. 2. & ferè cõmuniter D. Thomæ interpretes. Nec refert quòd D. Thom. 3. p. q. 7. a. 12. videatur docere, humanitatem Christi fuisse finitè capacitatis respectu gratie, & recepsisse tantam, quantum poterat capere; quia loquitur de capacitare & potentia non absolute sumpta, sed prout suberat ordinationi Dei, qui statuerat ei dare tantam gratiam, & non maiorem. Idem docet Gabriel in 1. dist. 17. q. 8. ar. 1. concl. 3. & 5. Occa q. 8. Capreol. in 3. d. 13. a. 3. ad 3. Aureolus. Vasquez 3. p. disp. 47. c. 3. Suarez ibid. tom. 1. disp. 23. sect. 2. Turrian. 2. 2. disp. 68. dub. 6. & alij. Et hanc etiam puto probabiliorem: varij autem variè eam probant. Sed præcipuè probanda est, quia, ut patet ex solutione argumentorum contrariorum, nulla potest vel apparens ostendi implicancia in eiusmodi augmento: vnde bene infertur hoc non esse negandū diuinæ potentie, deinde quia aliàs sequeretur, hominem aut angelum valdè diu existendo in via posse tandem mereri maiorem aut gratiam aut poenam, quàm Deus posset eicripere. quod videtur omnino absurdum.

D V B I V M VI.

Vtrum habitus caritatis sit semper intensior in patria quàm in via?

73 **N**Ota Primò, habitum caritatis dupliciter posse perfici. Primò, intrinsecè & secundum seratione maioris intensiois. Secundò, extrinsecè ratione status sui subiecti, ob quem habitus sit inamissibilis, & continuum longèq; perfectiorem actum habeat, quàm aliàs habere Coninck de act. supernat.

posset. Agimus hic solum de priore perfectione. de secunda dictum dubio sequenti.

Nota Secundò, hanc questionem posse dupliciter intelligi. Primò, faciendo comparationem ad idem subiectum; siue querendo an in eodem subiecto habitus caritatis in patria sit intensior quàm in via. Secundò, vtrum in diuersis subiectis possit hic esse intensior, quàm in celo? sed solutio secundè pendet à solutione prioris.

Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 18. n. 7. docet, quemuis Sanctum statim initio suæ beatitudinis accipere tantum augmentum habitus caritatis, ut hæc in quouis minimo Sancto superet caritatem cuiusvis viatoris: excepta fortè caritate, quam hic habuit B. Virgo. Probat Primò, auctoritate S. Thomæ, qui l. p. q. 117. a. 2. ad 3. & 1. 2. q. 67. ar. 6. ad 3. & 3. p. q. 34. a. 4. docet, caritatem minimi Beati esse perfectiorem quavis caritate viæ.

Secundò, quia D. Augustinus sapissimè docet, caritatem in patria esse maiore, quàm in via. nam l. 2. contra Aduersarium legis & Prophet. loquens de beatis angelis ait: *Quilibet in eis minor maior est vtrique quolibet sancto & iusto, portante corpus quod corrumpitur & aggrauat animam.* Item l. 1. Retract. c. 7. docet, caritatem hic non posse esse plenam, quia in patria erit maior. verba citam supra n. 63. Similia habet l. de Perfectione iustitiae ratiocin. 17. & in Enchirid. c. 121. & alibi.

Probatur Tertiò, ex Scripturis. Primò, quia Christus Matth. 11. cum dixisset inter natos mulierum non surrexisse maiorem Iohanne Baptista, subdit, *Qui autem minor est in regno celorum, maior est illo.* in quem locum D. Hieron. refutans eos, qui per minorem intelligunt Christum, qui erat Iohanne ætate minor, & dignitate maior, ait: *Nos autem simpliciter intelligimus, quòd annis sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo qui adhuc consistit in prælio.*

Probatur Quartò, quia Scriptura comparat caritatem siue sanctitatem quam hic habemus, cum luce auroræ & ætate puerili, sanctitatem verò patriæ cum luce claræ diei, & ætate virili. Prouerb. 4. *Infantum semita quasi lux splendens pro-* cedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Et 1. Cor. 13. *Cum essem paruulus (ait Apostolus) loquebar ut paruulus, sapiebam ut paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Deinde applicans similitudinem vitæ huius & futuræ, subdit: *Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem. nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.*

Quintò, quia quanto Deus perfectiùs cognoscitur, tanto magis voluntatem excitat ad sui amorem: atqui in patria sine comparatione perfectiùs cognoscitur, quàm in via: ergo tanto magis excitat voluntatem ad sui amorem, & consequenter hæc indiget maiore habitu, ut talem amorem possit elicere.

Sextò, cum Deus sit obiectum amoris supra naturam, quanto clariùs cognoscitur tanto amplius excedit naturam: ergo voluntas tanto maiore auxilio indiget ut eum congruè amet.

Sed hæc argumenta dictam sententiam nullo modo probant. Ad primum, Respon-

Pp 3 deo